

Ferè omnes rei persequenda. Ferè dixit, propter depositi actionem, de qua mox dicemus. Quod autem ad Exhibitorium actionem attinet, falsum est quod quidam scribunt, eam in hac genere numerandam esse. Nam siue dupla petatur, stipulationis opera, non solius legis vi, id accidit: siue, Quanto minoris agatur, non pœna, sed rei vel totius, vel patris persequendæ nomine actio instituitur. Sanè distmilitis ratio est illius legis duodecim, ut si quid venditur in prædio, vendendo inficiatus esset, dupli pœnam subiret: quemadmodum Cic. scribit in libro de Offic. iij. nam cum ipso iure pœna debeatur mixta potius actio videri debet.

Locato conducto. Verbis vsus est multis, neque tamen omnia dixit. Sarius igitur fuisset ita dicere, siue re siue verbis, siue literis, siue consensu factus esset. In eodem autem etiam genere Iudicati actio numeratur: quam Vlpianus in si. lege miles. 6. de re iudic. rei persequendum continere scribit.

Tumultus incendij. Sequitur v. In eum qui tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causa depositum, inficiatus erit, eiusve hæredem fraudulenterum, actio in duplum à prætorè conceditur lege prima. D. depof. Vbi Prætoris edictum his extat verbis: Quod neque tumultus, neque incendij, neque ruinæ, neque naufragij causa depositum sit, in simplum: eorum autem rerum quæ supra comprehensa sunt, in ipsum, in duplum, in hæredem eius, quod dolo malo eius factum esse dicetur, qui mortuus sit, in simplum: quod ipsius in duplum iudicium dabo. Cuius edicti ratio perspicua est. Equum enim Prætor existimauit esse, tam indignam fraudatoris perfidiam, certo aliquo iudicio pœnæque coërceri. Nam cum extante necessitate deposuerit, creticit (inquit Vlpianus) perfidiae crimen: & publica utilitate coërcendum est vindicandæ Reipublicæ causa. Duplex igitur huius edicti ratio videtur esse: prior quoniam alijs casibus spatium deliberandi datur, cui res committenda sit: hic verò, calamitas nullum ad deliberandum tempus permittit. Altera, quòd alijs in casibus perfidia nihil exitium habet, præter ceteras: hæc verò singularis est, & maiore aliquo odio digna, quòd ubi misericordiae opus fuit, ibi crudelitas adhibita est, & calamitas calamitatis adiecta. Diximus autem **IN EVM QVI INFICIATVR ERIT**: quoniam hac in duplum actio, non nisi aduersus eum qui inficiatus est, conceditur: ut paulò post sub. §. sed furti quidem, constabit. Quod cum ita sit, † Iudicij formulam hanc meo iudicio non omnino incommode concipiemus: **SI PATERE** † lege Titium cum propter incendij periculum res suas exportaret, eam rem qua de agitur apud C. Mæuium deposuisse, Mæuium autem inficiatum id esse, tum Mæuius in duplum damnetur. Qua ex formula intelligi debet, actori duarum rerum probationem incumbere: nimirum ob causam incendij depositam eam rem fuisse, & Mæuium inficiatum illud esse. In duplo autem simplum contineri, & paulò post planius intelligitur: neque hoc loco difficile existimatum est, cum Iustinianus dicat hanc actionem mixtam esse. Nam & rem, quæ simpli est, & pœnam, quæ alterum tantum continet, persequitur.

Actiones ex maleficijs, quædam pœnam tantum persequuntur, ut furti: quædam rem ut furti conditio: quædam vtranque, ut rapinæ, damni iniuria, & in hæredem qui pœnis locis legatum vsque dum in ius vocaretur, solvere distulit.

Ex maleficijs verò prodite actiones, alie tantum pœna persequende causa comparatae sunt: alie rem pœnae, quam rei persequende, & ob id mixtae sunt. Pœnam tantum persequitur quis actione furti. Siue enim manifeste agatur, quadrupli, siue nec manifeste, dupli: de sola pœna agitur. Nam ipsam rem propria actione persequitur quis, id est, suam esse petens: siue fur ipse eam rem possideat, siue alius qui libet. Eo amplius, aduersus furem etiam conditio est rei. Vi autem bonorum raptorum actio, mixta est: quia in quadruplo rei persequitur continetur: pœna autem tripli est. Sed & legis Aquilia actio damni iniuria mixta est, non solum si aduersus inficiatum in duplum agatur, sed interdum & si in simplum quisque agatur: veluti si quis hominem claudum aut luscum occiderit, qui in eo anno integer & maximi pretij fuerit: tanti enim damnatur, quantum homo eo in anno plurimi & maximi pretij fuerit, secus si iam traditam diuisionem. Item mixta est actio contra eos, qui relictæ a sacrosanctis ecclesijs, vel alijs venerabilibus locis, legati vel fideicommissi nomine, dare distulerint vsque adeo, ut etiam in iudicium vocentur. Tunc enim & ipsam rem vel pecuniam, quæ relictæ est, dare compelluntur, & alterum tantum pro pœna: & ideo in duplum eius sit condemnatio.

S V M M A R I A.

- 1 Ex maleficijs actiones ad quod se extendant.
- 2 Furti actio ad pœnam datur, conditio & rei vindicatio ad rem persequendam.
- 3 Aduersus furem non tantum datur furtiue rei vindicatio sed aduersus possessorem quemlibet.
- 4 Vi bonorum raptorum actio mixta. & nu. 5.
- 6 Eruptor scelerator fure.
- 7 Lex Iulia de vi in raptos, & quomodo tripli in eos condemnatio intelligatur.
- 8 Aduersus publicanos qui quempiam fraudant proætoris iudicium in duplum.
- 9 Aduersus nauaras, canpones, & stabularios quis debet esse condemnatio.
- 10 Actio damni iniuria, mixta.
- 11 Aquiliana aduersus inficiatum in duplum datur.
- 12 Legatum pœnis locis relictum qui distulit solvere, aut inficiatus est antequam in ius vocaretur, dupli tenetur.

EX maleficijs verò. Enuntiatio j. Actiones ex maleficijs † tum rei, tum pœnæ, tum vtriusque persequendæ causa dantur. Nam rei solius causa comparatae esse conditio nem furtiuiam, eamque ex maleficio nasci, nemo ignorat. Itaque voces istas **ALIÆ REI** quæ alijs in libris desiderantur, restitueret ex duobus antiquis codicibus non dubitauimus.

Actione furti. Sequitur ij. Furti actio, siue manifeste, siue nec manifeste sit, solam pœnam persequitur.